

Quid, et quomodo sacramenta novae legis operantur?

1. Momentum quaestionis.

Cum omnia religionis christianae dogmata penitus expensa, ad informandos erigendosque animos plurimum valeant; tum illi doctrinae catholicae parti, quae de sacramentorum efficacia tractat, mira plane vis inesse deprehenditur ad mentem divinae bonitatis admiratione imbuendam pioque gratitudinis sensu inflammandam. Quicquid enim bonorum, quae quidem amplissima sunt, benignissimus Salvator passione mortisque sua generi mortalium emeruit: si quod trepidis memoriâ peccatorum conscientiae lenimen ac solatium, si quod contra tot obstinatos salutis hostes praesidium, si quam vecuperandae Numinis amicitiae beataeque immortalitatis olim adipiscendae fiduciam: id omne praecipua quadam ratione sacramentorum divinitus institutorum virtute conclusum habetur; ut adeo iure merito ea tamquam perpetua divinae in nos caritatis munimenta, publicosque gratiarum latices iugiter in ecclesia scaturientes suspicimus, quibus inexhausta Redemptoris merita cumulate effunduntur in omnes, quotquot animo rite comparati ad illos accurrunt. Accedit doctrinae huic momentum ex eo, quod sicut antiquiorum sectariorum complures, uti messaliani, armeni, cathari, ita ii qui a tribus inde seculis ab ecclesia catholica se se alienos fecerunt, sacramenta novae legis omni vi intrinseca producendi conferendique gratiam exspolient, nil in iis, nisi nuda symbola ritusque sanctitatis steriles, videntes; quo quidem pacto dum liberalitati Dei nullis circumscriptae limitibus modum

statuunt, unâ ecclesiam praecipuo, quo ab Auctore suo provisa fuit, iustitiae sanctitatisque consequendae adminiculo defraudatum eunt. Denique nostrâ quoque plurimum interest iustam de sacramentorum quae frequentamus efficaciam fovere existimationem; quo enim oblati beneficii magnitudinem plenius perspexerimus, eo ardentius illud expetendum et alacrius amplectendum putabimus.

2. Summa doctrinae cath. de sacramentorum n. l. efficacia.

Ac imprimis quidem rectus orationis ordo postulat, ut doctrina ecclesiae catholicae de sacramentorum n. l. efficacia plane ac dilucide exhibeatur, suis deinceps rationibus expolienda stabiliendaque. Summa porro doctrinae orthodoxae ad simplicissimam expressionem revocatae his continetur: sacramenta n. l. non significare tantum, sed conferre quoque gratiam sanctificantem, idque vi propria sibi inesse, independentem a merito seu ministri sive suscipientis; tria item eorum imprimere characterem. Quibus quidem tum effectus quos sacramenta operantur, tum modus quo eos operantur, liquido indicatur. Esse vero hanc domesticam et sinceram ecclesiae doctrinam, eo minus cuiquam dubium esse potest, quanto eam evidentius a novissimis conciliis oecumenicis Florentino ¹⁾ et Tridentino ²⁾ expressis verbis propositam, a Patribus et doctoribus catholicis omnium aetatum miro consensu traditam, atque ab ipsis adversariis ut talem ultro agnitam constat; quippe qui tota virium contentione in id incumbunt, ut eam convellant errorisque insimulent. Nostrum itaque est, avitae fidei veritatem sin minus novis argumentis exornare, saltem brevi tractatione relegere, et contra assultus munire.

Cum praecipuus sacramentorum effectus ac veluti essentia in collatione gratiae sanctificantis consistat, non abs re fore

¹⁾ Decret. Eugenii IV. pro Armenis.

²⁾ Sess. VII. canonibus 6. 7. 8. 9.

arbitror, ea quae ad gratiae huius indolem explicandam faciunt, succinctâ brevitate praemittere, quo et sacramentorum sanctitas ex divinorum quae in iis nobis propinquantur munerum amplitudine luculentius innotescat, et ad declarandum gratiae ipsius cum sacramentis nexum expeditior via sternatur.

3. Gratiae sanctificantis succincta descriptio.

Gratiae sanctificantis, quam etiam iustificantem vocant, indolem naturamque intimam, vir de sacratioribus disciplinis egregie meritus, ¹⁾ duobus fere verbis complexus est, eam »habitum sanctitatis et complacentiam Dei in creatura« definiens. Omnia quae seu Scriptura sacra sive sancti Patres de gratia sanctificante praeclara atque magnifica praedicant, brevi hac et praegnanti notione comprehendere, aut certe facili negotio ad eam reduci posse mihi videntur; ei enim in sua quibus constat elementa dispunctae, hic subest sensus: cum homo ad finem supernaturalem, ad consortium scilicet vitae beatitudinisque divinae conditus sit, isthoc autem consortium sine quadam cum Deo similitudine obtineri nullatenus queat; patet hominem ad similitudinem cum Deo elevari debere. At vero homo solis viribus naturae suae essentialibus ad eiusmodi similitudinem eluctari hâud potest; neque enim creatura ordinem suum naturalem egredi, et communionem vitae cum Creatore ex se umquam inire potest, nisi hic ad eam se demittat, suique copiam illi faciat. Quapropter necesse est hominem principio quodam supernaturali imbui, quo ad ordinem supernaturalem sive similitudinem cum Deo evehatur: tale autem principium est gratia sanctificans per Spiritum Sanctum communicata, quâ detergis omnibus peccatorum maculis homo vere ac interne iustus sanctusque constituitur, ac per id obiectum evadit complacentiae et dilectionis divinae. Atqui hoc ipsum est quod fides ecclesiae cath. verbo Dei innixa profitetur. Concilium quippe Tridentinum expositis dispositionibus ad iustificationem

¹⁾ Heinr. Klee, kathol. Dogmatik. 2 Aufl. III Bd. p. 34.

requisitis, ita prosequitur: »Iustificatio . . . non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum; unde homo ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitae aeternae.» ¹⁾ Haec, et quae alia idem concilium de iustificatione pronuntiat, si conferam cum iis quae in sacris litteris de eadem traduntur, perspicuum mihi fit planeque persuadeor, gratiam sanctificantem esse qualitatem seu formam quamdam divinam, qua homo participatam naturae divinae similitudinem in se reflectit, et filius Dei adoptivus, Deoque gratus et acceptus existit. Quì vero id fieri posse putemus, nisi principium quoddam divinum animae inseri credamus, quo ea ad sphaeram nativâ suâ conditione sublimiorem educta, coelestem, ut ita dicam, auram respiret, et ad intimus vitae cum Deo commercium adscita, divinae consors efficiatur naturae, communicata ei non proprietate naturae divinae, sed similitudine, societate, *κοινωνία* 1 Cor. I, 9. Mens trepidat laeta dum cogitat eam homini cum Deo intercedere necessitudinem, quae similitudinem inducat naturae. Quae enim maior splendidiorque pulchritudo ac venustas animae creatae obtingere queat, quam si ad similitudinem sui Conditoris effingatur? Aut fierine potest, ut in contiguitatem incircumscriptionis lucis adducta eiusque fulgoribus aspersa, nihil lucis particeps? Fierine, ut aeternae pulchritudinis afflatu dignata, nil pulchritudinis ipsa percipiat? Hinc Catechismus romanus naturam gratiae sanctificantis explicans ita docet: »Est divina qualitas in anima inhaerens, ac veluti splendor quidam et lux, quae animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores et splendidiore reddit.« ²⁾ Quod idem iam ante sensit S. Augustinus: »Quid est enim, ait, aliud iustitia cum in nobis est, quam interioris animi pulchritudo.« ³⁾ Et alibi: »Natura cum

¹⁾ Sess. VI. cap. 7.

²⁾ Part. II. c. 2. qu. 49.

³⁾ Epist. 83.

a Deo suo conditore iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam.« ¹⁾ Gratia itaque sanctificans non est favor Dei mere externus, aut relatio dumtaxat nescio quae cum Deo: sed qualitas realis et positiva, quae depulso penitusque oblitterato in anima omni peccati reatu, eam decore divino investit; seu ut theologi loqui amant: »Gratia dat esse divinum, et est fundamentum primum totius supernaturalitatis;« ²⁾ quatenus nempe potentias animae exaltando perficiendoque principium fit in homine activitatis supernaturalis, efficitque ut homo praeclaram naturae divinae similitudinem in se exhibeat, habitu sanctitatis virtutumque omnium ornatus. Habitu, inquam, tum quia gratia etsi constanter praesens, non tamen semper est actiosa, dicente S. Basilio: *ἡ χάρις τῶν πνεύματος . . . αἰεὶ μὲν συμπαροῦσα, οὐχὶ δὲ καὶ ἐνέργουσα διηγεκῶς*; ³⁾ tum quia ita immobilis non est, ut amitti nequeat: nam concupiscentia etiam in iustificatis dum terrae huius munere vescuntur, remanet, suisque infestis motibus eos identidem lacessit; qui tamen peccati rationem adeo non habent, ut potius viriliter obnitentibus comparandae amplissimae meritorum segetis sint occasio.

Qualitatem autem illam quam gratia in anima efficit, non transeuntem, sed permanentem, intimisque animae visceribus haerentem, ac id esse quod hominem Deo gratum acceptumque facit, res Scripturae testimoniis exploratissima est. S. Paulus Ephes. I. postquam praemisisset, praedestinos nos a Deo fuisse in adoptionem filiorum, subiungit v. 5: In laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. Quibus quidem verbis et quanta sit gratiae excellentia, et eam inhaerere iustis, clare docet Apostolus. Nihil ad locum hunc illustrandum adferre possum aptius, quam elegantissimam S. Chrysostomi commentationem ita scribentis: »Non dixit

¹⁾ De Trinit. L. XV. c. 8.

²⁾ RR. Patrum Soc. Jesu Theologia dogmat. polem. praelectionibus publicis in Univers. Wirceburg. accommodata. Ed. 2. Paris. 1853. T. IV. p. 441.

³⁾ Lib. de Spiritu S. c. 26.

ἡς ἐχαρίσατο, id est, quam gratis donavit; sed *ἐχαρίτωσεν*, id est, gratos fecit. Hoc est, non solum liberavit a peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quemadmodum enim si quis scabiosum, et peste ac morbo senioque et paupertate ac fame confectum et perditum, statim formosum fecerit iuvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, e genis quidem splendorem valde emittentem, et micantium oculorum eiaculationibus solis fulgores occultantem, deinde eum constituerit in ipso flore aetatis, et postea eum purpurâ induerit et diadema imposuerit, et omni regio ornatu decoravit; ita nostram instruxit et ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, et amabilem.¹⁾ Omitto alia quae in rem praesentem certatim se mihi offerunt documenta²⁾: illud solum praetereundum haud puto, quod in Scripturis gratia dicatur operari in nobis regenerationem; quid vero hac expressione insinuat aliud, nisi quod, sicut generatio non transeuntem ad singulares actus potentiam, sed stabile esse tribuit: ita regeneratio quoque eiusmodi in nobis producat mutationem, qua novum quoddam esse, illud nempe *δευῶς εἶναι*, de quo Dionysius loquitur, sortiamur, quod ut Gregorius de Valentia aptâ explicat analogiâ, eo plane modo fundamentum et principium sit in nobis actionum supernaturalium, quo essentia naturae basis ac primum principium est operationum naturalium.³⁾ Quod Patres attinet, ut eos quoque brevissime attingam, familiare illis est, ut insistendo phrasi in Scripturis crebro repetitae, dicant ungi, item obsignari nos Spiritu Sancto. Sic S. Augustinus: »Unctio invisibilis caritas illa est, quae in quocumque fuerit, tamquam radix illi est, quamvis ardenti sole arescere non potest.«⁴⁾ Et S. Ambrosius: »Signati ergo Spiritu a Deo sumus. Sicut enim in Christo morimur ut renascamur: ita etiam Spiritu signamur, ut splen-

¹⁾ Homil. 1 in epist. ad Ephes.

²⁾ Joan. IV, 14. XIV, 25. 2 Petri I, 4. 1 Joan. III, 9. etc.

³⁾ Commentarior theolog. T. II. disput. 8. qu. 3. punct. 2.

⁴⁾ Tract. 3. in 1 Joan. II.

dorem et imaginem eius et gratiam tenere possimus.« ¹⁾ Si gratiam qua sanctificamur instar unguenti quod infunditur, instar sigilli quod imprimitur animae, recte nobis repraesentare licet: tum profecto ea perdurans Numinis operatio, et inhaerens permanensque animae qualitas sit oportet.

Si quae dicta sunt paucis recolere lubeat, ea velut in nucem contracta huc, ni fallor, redeunt. Per gratiam sanctificantem nexus quidam et communio vitae Deum inter et hominem stabilitur; ²⁾ nam Spiritus Dei et Christi fit spiritus, id est, principium, vitae spiritualis in homine, ³⁾ unde gratia in suo principio considerata, recte dici potest vita divina in nobis.⁴⁾ Verbo: »Gratia sanctificans seu habitualis est summa quaedam naturae divinae participatio, evehens animam ad esse divinum; ei tribuens pulchritudinem divini ordinis et quidem maximam; eam intime ac perfecte cum Deo coniungens, simillimamque Deo reddens, similitudine scilicet morum ac voluntatis, quam amicitia requirit.« ⁵⁾

Stupendum sane divinae in nos bonitatis prodigium! ut miseri mortales, abolitis peccatorum queis scatemus sordibus, ad consortium naturae divinae dignitatemque filiorum Dei evehamur!« ⁶⁾

¹⁾ De Spiritu S. Lib. I. c. 6.

²⁾ Im Allgemeinen besteht der Charakter der habituellen Gnade darin, dass durch sie eine Lebensverbindung des Menschen mit Gott im heiligen Geiste gestiftet wird. Dieringer, Lehrbuch der kath. Dogmatik. Mainz 1847. p. 465.

³⁾ Der Grundgedanke bei der Rechtfertigung ist kein anderer, als der, dass der Geist Gottes und der Geist Jesu Christi der Geist, d. h. das geistige Prinzip im Menschen wird; wie aber dieser Geist ein lebendiger ist, so ist auch das Gesetz desselben ein belebendes Gesetz, das Leben zeugt, und zwar das göttliche, wodurch wir Eins mit Gott werden. Staudenmaier, Encyclopädie der theol. Wissenschaften. I. Bd. p. 727.

⁴⁾ La Grace considérée dans son principe . . . est la Vie divine en nous. Aug. Nicolas, Études philosophiques sur le Christianisme. Paris 1852. T. III. p. 579.

⁵⁾ Paul. Gabr. Antoine, Theologia speculativa et dogmat. Venet. 1745. T. II. tract. de gratia c. 6. art. 7.

⁶⁾ Egredie cum primis in explicanda natura gratiae versatus est Jos. Kleutgen in opere quod inscripsit: Die Theologie der Vorzeit, II. Bd. 7. Abhandl., 4. Hauptst.

4. Christi cum ecclesia nexus.

Inaestimabile hoc gratiae donum Salvator optimus passionis mortisque sua nobis promeruit. Opere quippe redemptionis in cruce perfunctus, genus humanum e ruina, in qua protoparentum culpâ misere prostratum iacebat, erexit, et ad primaevam conditionem restauravit, procuratis omnibus, quibus sauciata natura sanaretur et ad suam integritatem postliminio repararetur, remediis. At vero cum insigne hoc beneficium e consilio divino non minus tempore quam spatio et amplitudine universale esse, adeoque hominibus quovis tempore et ubivis locorum viventibus impendi debeat; — ecquid enim prodesset Christum meritis suis iustitiae divinae fecisse satis, eaque in genere praestitisse, quae ad redimendum genus humanum pertinent, nisi merita eius nobis in proprietatem cederent ipsaque redemptio in unoquoque nostrum perageretur? — hinc opus redemptionis angusto vitae quam Christus in terris egit curriculum, concludi haud potuit; sed illud continuandum, et succedentibus sibi decursu seculorum generationibus applicandum atque in effectum deducendum erat; ut peccatum quod ex turbido Adami fonte generatione continuo propagatur, regeneratione et sanctificatione pariter non intercepta elideretur. Christum igitur, etsi oculis mortalium subductus cum glorificata humanitate coelos petierit consessu Dei Patris honorandus, aliâ quâdam ratione inter homines permanere et opus suum prosecui oportuit. Et reipsa adest ille in ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, ¹⁾ in eaque continuat quae in suscepta humanitate inchoavit, conferens sine intermissione hominibus ea quae in carne sua illis promeruit. Enim vero in Scripturis una eaque constans occurrit ingeminaturque idea intimae conjunctionis Christum inter et ecclesiam, immo cuiusdam prope-modum unitatis ex Christo et ecclesia efflorescentis, ut dum

¹⁾ Act. XX, 28.

Christus ecclesiae caput ¹⁾ dicitur, ecclesia Christi corpus vocatur, ²⁾ et tamquam unum quid cum Christo exhibetur. Quae quamquam tropice et per analogiam dicantur, attamen ex vero intimam et realem Christi cum ecclesia necessitudinem exprimere, tum ex copiosis Scripturae effatis ³⁾ inter se comparatis, luculenter constat, tum unanimis Patrum sententia dubitare non sinit; e quibus Origenes ⁴⁾ ita loquitur: »Dicimus ex divinis Scripturis totam Dei ecclesiam esse Christi corpus a Dei Filio animatum, membra autem illius corporis, ut totius, eos esse omnes qui credunt: quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a se ipso naturâ moveri vitaliter non potest; ita Verbum totum corpus seu ecclesiam ad ea quae opus sunt, movens et agens, etiam singula membra eorum qui ad ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant.« Et S. Augustinus ⁵⁾: »Membra Christi per unitatis caritatem sibi copulantur, et per eandem capiti suo cohaerent quod est Christus Jesus. Totum igitur quod annuntiatur de Christo, caput et corpus est: caput est ipse unigenitus Jesus Christus Filius Dei vivi, ipse salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram: corpus eius-ecclesia, de qua dicitur, ut exhiberet sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi.« Quodsi vero ecclesiam inter et Christum is nexus est, qui inter corpus et caput; quidni sequitur, sicut corpus a capite, ita ecclesiam a Christo sciungi nullatenus posse? Ac proinde ex Christo et ecclesia unum, illudque integrum, et membris suis instructum coalescere corpus eodem plane modo,

¹⁾ Ephes. I, 22. IV, 15. V, 23. Coloss. I, 18. II, 19.

²⁾ I. Cor. VI, 27. Ephes. I, 23. IV, 12. V, 23.

³⁾ Quae cum hic loci recensere longius a proposito abduceret, videri ea possunt multo eruditionis theologicae apparatu illustrata in insigni opere Caroli Passaglia: De ecclesia Christi. Ratisb. 1855. Vol. I. l. 1. c. 3. et seq.

⁴⁾ Lib. VI cont. Celsum p. 48.

⁵⁾ De unitate ecclesiae c. 2. p. 2.

ac ex Unigenito assumente susceptâque humanitate unus atque integer Christus existit, eo tantum discrimine, quod Verbum humanitati *ὑποστατικῶς*, Christus ecclesiae *μυστικῶς* uniatur. His conformiter duplex Christi ad ecclesiam agnoscenda est relatio, capitis nempe, et animae seu spiritus. Si enim ecclesia est eius corpus, et quidem corpus vivum et organicum: procul dubio ipse est qui illam tamquam caput regit, et ipse itidem qui illam animat et spiritus instar pervadit, omniaque eius membra vegetat. Unde simul patet, ecclesiam duplici constare elemento, altero humano, externo, visibili, quod est coetus fidelium eâdem fide et caritate inter se et cum Christo coniunctorum: altero divino, interno, invisibili, quod est Spiritus Christi corpus ecclesiae informans et vivificans; quod duplex elementum distingui quidem, minime vero separari divellique ab invicem potest, cum utrumque simul sumtum, unum quoddam totum, unam velut personam constituat, dicente S. Gregorio ¹⁾: »Redemptor noster unam se personam cum sancta ecclesia, quam assumsit, exhibuit.« Atque ex arcissima hac individuaque coniunctione Christi cum ecclesia facile quisque intelliget, veram non minus quam elegantem esse eam descriptionem, qua cl. Passaglia ²⁾ lineamenta ecclesiae expressit, dum ait: »Ecclesiam apte luculenterque vocari corpus Christi mysticum, id est, eorum omnium coctum in quo se Christus manifestat, suamque vitam explicat, per quem conspicuus inter homines degit, et per quem salutaris oeconomiae opus ita profert atque continuat, ut per eum homines a captivitate liberet, veritatem doceat, iustitiâ donet, et ad sempiternam coronam perducatur.« Quam in notionem alios quoque praeclaros conspirare auctores catholicos notius est, quam ut monere sit necesse. ³⁾

¹⁾ Praef. in Libr. Job. c. 6. p. 14.

²⁾ L. c. p. 40.

³⁾ So ist denn die sichtbare Kirche . . . der unter den Menschen in menschlicher Form fortwährend erscheinende, stets sich erneuernde, ewig sich verjüngende Sohn Gottes, die andauernde Fleischwerdung desselben, so wie

At si Christus in ecclesia vivere, se se manifestare, et salutem nostram procurare pergit: quis ambigat, triplex quoque munus quod in vita mortali gessit, quove redemptionem nostram operatus est, continuari ab eo? Et profecto continuat: munus quidem propheticum per doctrinae salutaris sinceram illibatamque annuntiationem; regium per legum ad virtutem pietatemque provehendam et disciplinam manutenendam idonearum sanctionem; sacerdotale denique per gratiae qua expiamur sanctificamurque dispensationem. Omnia vero haec munia sicut olim ipse dum Homo-Deus inter homines versaretur sensibilibiter obivit; ita nunc per ecclesiam quacum se unum fecit, quamve virtute sua sustentat, et Spiritu suo dirigit, exequitur. Quod in specie rationem attinet modumque quo sanctificationem, quae scopus et summa est totius redemptionis, in nobis perficit, eum pro sua sapientia talem esse voluit, qui naturae nostrae eiusque indigentis quam maxime esset attemperatus. Cum nempe corpore constemus et animâ, symbola quaedam instituit sensibus obnoxia, quibus gratiae suae donum, ut ita dicam, involvit, ut iis ministerio ecclesiae visibilis visibiliter nobis applicitis, conseii certique redderemur sui in nos Spiritus transfusi, nosque sibi intime devinctos et viva corporis sui

denn auch die Gläubigen in der heil. Schrift der Leib Christi genannt werden. J. A. Möhler, Symbolik. 5. Aufl. p. 557.

Dieu est avec l'Église, il est dans l'Église; l'Église n'est qu'un mode visible de communication de la Divinité avec tous les hommes, et passez-moi l'expression, qu'un porte-voix de sa parole à travers les siècles: selon l'expression du savant Mœhler, c'est l'Incarnation permanente du Fils de Dieu, où il est continué selon tout ce qu'il est; c'est sa Religion rendue objective. Comme il s'était fait homme en quelque sorte, il s'est fait Église. Nicolas I. c. p. 197.

La Chiesa altro non è che il corpo di Cristo animato dal suo medesimo spirito; e la vita, l'operazione, la missione della Chiesa non è se non la continuazione della vita, dell'operazione, della missione di Cristo: e però della Chiesa e del suo mandato del farsi quella medesima stima e ragione che del officio e del mandato di Cristo. Civiltà cattolica Serie III. Vol. X. p. 315.

membra effectos intelligeremus. Symbola haec sacramenta audiunt, quae proin ἀναλογῶς ad hominis naturam spiritualia simul et sensibilia sunt, sicque dualismo substantiae nostrae egregie respondent; idque tanto videri debet convenientius, quod homo post peccatum imbecillis et in terram pronus, ad percipienda spiritualia fulcro signorum externorum opus habeat. »Si incorporeus esses, ait S. Chrysostomus ¹⁾, nuda ipse dona et incorporea tradidisset tibi; quoniam vero anima corpori concreta est, in rebus sensibilibus (φαινομένοις) intelligibilia (νούμενα) tibi praebet. ²⁾

Vide'n? quanta sit ecclesiae dignitas, quanta maiestas! Non solum Christi personam repraesentat, sed illum praesentem, et immensae caritatis suae opes in nos profundentem sistit. Quidquid potestatis, quidquid decoris ornamentique inest ecclesiae: id totum a Christo in ea et per eam agente habet. Quae dum mente tacitus revolve, nescio quae sublimis divinae ecclesiae facies se mihi offert, quam quo intentius contemplan, tanto in venerationem amoremque eius vehementius me impelli sentio.

5. Sacramenta n. l. sunt velut arteriae, per quas vita supernaturalis in universum ecclesiae organismum et singula eius membra derivatur.

Cum sacramenta sint media seu adminicula, quae corpori Christi insertos vitali cum eo nexu coniungunt, non incongrue ea tamquam arterias spectare licet, per quas vita supernaturalis a capite in organismum universum singulaque eius membra dimanat. Quemadmodum nempe in corpore organico per arterias processus vitalis ad extremos usque artus deferitur, horumque cum capite communio efficitur, atque ita partium

¹⁾ Homil. 82 in Matth.

²⁾ Quare merito reprehensa fuit sententia Guilelmi Ockam existimantis, sacramenta posse etiam esse in re insensibili; nam ut observat Bellarminus, eiusmodi res si ex instituto Dei gratiam conferret, haberet quidem effectum sacramenti, sed sacramentum non esset.

omnium unitas et concentus quidam inducitur: ita in corpore Christi quod est ecclesia idem praestant sacramenta. Ex hoc obtutu Catechismus Concilii Tridentini ¹⁾ sacramenta comparat alveo; »Virtutem enim, verba sunt eius, quae ex passione Christi manat, hoc est, gratiam, quam ille nobis in ara crucis meruit per sacramenta, quasi per alveum quemdam in nos ipsos derivare oportet.« Doctori Angelico ²⁾ sunt quaedam veluti vasa Christi sanguinem continentia; nec non scaturigines aquae spiritualis in vitam aeternam salientis; idem fontes illi Salvatoris ab Isaia propheta his verbis praenuntiati: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hinc vero, nisi me fallunt omnia, patere opinor, quem sacramenta in salutis humanae oeconomia locum sibi vindicent. Sunt ea omnis qua ecclesia resplendet, unitatis sanctitatisque causae. »Ecclesia una est, inquit Optatus ³⁾, cuius sanctitas de sacramentis colligitur.« Per ea quippe gratia in fideles derivatur, qui hoc pacto vita Christi membra evadunt: »Manifestum est enim, ut ait S. Thomas ⁴⁾, quod per sacramenta novae legis homo Christo incorporatur.« Atque ita tota corporis ecclesiae compages in unitatem collecta et continuo Spiritus divini influxu vivificata, cum capite suo coniungitur. Cuius quidem praestantissimae coniunctionis qua ecclesia cum Christo eiusque Spiritu devincitur, effectus est, ut nulla iis spes verae vitae, adeoque salutis affulgeat, qui se se ab ea separant aut culpâ suâ extorres degunt: quod cum res ipsa aperte loquatur, tum a sanctis Patribus gravissimis verbis asseveratum accepimus. Ita S. Irenaeus ⁵⁾: »In ecclesia, inquit, posuit Deus

¹⁾ Part. II. c. I. qu. 9.

²⁾ Prolog. L. IV. sentent. ad Hannibaldum.

³⁾ Lib. II. 1.

⁴⁾ P. III. qu. 62. art. 1.

⁵⁾ Lib. III. Cont. haeres. c. 24. n. 1—2. Verba Irenaei non de sola fide, sed de universo religionis christianae instituto accipienda esse, contextum accuratius inspicienti patet.

apostolos, prophetas, doctores et universam reliquam operationem Spiritus; cuius non sunt participes omnes qui non currunt ad ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita per sententiam malam et operationem pessimam. Ubi enim ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, illic ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam.« S. Cyprianus ¹⁾ ecclesiam paradiso comparans quaerit: »Numquid de ecclesiae fontibus rigare potest qui intus in ecclesia non est? Numquid paradisi potus salubres et salutare impertire cuiquam potest, qui perversus et a semetipso damnatus et extra paradisi fontes relegatus aruit, et aeternae sitis siccitate defecit?« Et S. Augustinus cum saepe alias, tum in epistola contra donatistas ²⁾: »Ad ipsam salutem ac vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in eius corpore fuerit, quod est ecclesia.«

(Continuatio sequitur.)

¹⁾ Epist. 73. ad Jubaianum.

²⁾ Vulgo in libro de Unitate ecclesiae c. 19. n. 49.